

338

De Divo Luthero
Pontificiorum Reformatorumque
judicia mitiora,

quando binis orationibus solennibus,
priore

Præcellens Clarissimus Doctissimusque Vir,
Dn. M. SAMUEL SOMMERFELD, Magd.
per bina lustra in athenæo & schola cathedrali
Sub Rectoris munere cum laude functus,

nunc B. ConRectoris MUSHARDI successor,
PRÆCIPIAS SCHOLARUM CORRUPTELAS;
posteriore

Præcellens itidem Clarissimus Doctissimusque Vir,
Dn. JO. BALTHAS. SCHOTTUS, Schleusinga Henneberg.
per quinquennium scholæ Buxtehudanæ Rector,
nunc athenæi scholæque cathedralis SubRector,

EXEMPLA PRUDENTIÆ IN TRIBUS HIERARCHIIS DEMONSTRATA,
proximo Martis die, qui in fastis Suecicis Lutheri natalis est,
exponent disertissime,

benevola Eruditorum cujuscunque ordinis
præsentia & attentio concilianda,

peroraturis vero
publicus in spartam novam ingressus,
autoritate

summo per Brem. & Verd. Ducatus
Magistratu fungentium,

aperiendus erat,
Lectoribus nullo partium studio distractis
in memoriam revocabat

GERHARDUS MEJER, Theol.D.
S. Reg. Maj. Suec. per Brem. & Verd. Ducatus Consil. Eccl.
Bremæ ad D. Petri Past. Primar. hujus vicinarumque
Superint. & Scholarcha.

Bremæ, typis Brauerianis. 1708.

Biogr. erud.
D. 1615, 72

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

De Dno Johanne

Magnum est ac venerabile nonnullis, mirum vobis! Papæ mancipiis nomen D. MARTINI LUTHERI, quem *vere Divum* ex vero WOLFFG. FRANZIUS appellat: (a) Majus est idem & venerabilius penes cordatiores, qui suum in Reformatis nomen profitentur: Maximum vero atque omni veneratione dignissimum, neque id injuria, ab illis censetur, qui nomine Lutheranorum, neutiquam eo, quem Lutherus improbat, (b) sed quem collaudat, sensu, (c) non secus ac Israëlitæ quondam, dein & Arhanasiani vel Ambrosiani vel Johannitæ, (d) a reliquis distinguuntur. Equidem plerique Pontificiorum, quanto possunt conatu, virus in Lutheri manes evomunt ore impudentissimo, probris eum lacerant, convitiis atque sibilis consectantur. Non erubuit FRANCISCUS CHIREGATUS, Pontificis Hadriani legatus, ipsum, cum etiamnum in vivis esset, conventui Norico deridendum proponere, tanquam *Mahometum* ex orco redivivum & fræna laxantem cupiditatibus. (e) Complures ingenii nervos omnes in id intenderunt, ut ex Megalandri nomine numerum Antichristi, Apoc. XIII, 18. revelatum, extorquerent, ne Lutherus pro *Antichristo* non haberetur. LINDANO tantum sibi indulgenti, ut Viri, quæ dicimus, nomen in *Martin Lauter* converteret, ineptias exprobravit ABRAH. CALOVIUS, ex valore

A 2

lire-

(a) De Interpr. Script. Præf. p. 26. (b) T. II. Jen. Germ. 92. a. T. III. 105. a. T. II. Altenb. 83. (c) T. VI. Jen. Germ. 121. a. 315. b. 316. a. 327. b. (d) CAVE Hist. Lit. p. 104. 149. 176. (e) SLEIDAN. Lib. IV. ad A. M D XXIII.

literarum arithmetico, Romanis usitato, comprobans, bina hæc nomina non DCLXVI. verum MLVI. complecti. (f) At satius duxit BELLARMINUS, novam literis tribuere virtutem numericam, ut M. 30. A. 1. R. 80. T. 100. I. 9. N. 400. L. 20. A. 1. U. 200. T. 100. E. 5. R. 80. valeat, quam nuntium huiusmodi mittere nugis nil præter ingenium testatum relicturis. (g) In aliam THOMAS MALVENDA (h) ingressus est viam, numerum apocalypticum ex nomine Lutheri exclusurus. Hebræorum selegit computandi rationem, advertens autem, ne sic quidem votis respondere eventum, religioni non habuit, integrum precario inferere Lamedh, ne triginta calculo deessent. Fac vero, fictum illud vocabulum ללללל Papæis favere institutis, genuinum tamen nomen לללל nonnisi obtorto collo in eandem traxeris sententiam. Improclivi foret, contumeliis atque injuriis, quas Papæi Luthero imponere ac intorquere gravissimas non sunt subveriti, sinuosa implere volumina. Ecquem latet? à GEORGIO SAXONIÆ DUCE Lutherum *facem seditio- nis & rebellionis tubam* fuisse appellatum. (i) Vix poterat SYLVESTER DE PETRA SANCTA deformius selecto huic Dei organo facere convitium, quam *scortationibus & adulteriis* suo ipsum Evangelio primordia dedisse criminatus. (l) Apud FERDINANDUM, eo tempore Hungariæ ac Bohemiæ Regem, hanc ipsi paratam fuisse famam, *quod armatus stipatusque procederet, scortis, aleis, tabernis vacaret*, per Regis legatum, quid hominis esset? & quid ageret?

(f) *Bibl. Illust. in Apoc. p. 1859.* (g) *Lib. III. de P. R. cap. X. de nomine Antichristi p. 1142.* (h) *Tract. de Antichristo T. I. p. 60. add. BLAS. DE VIEGAS in Apoc. XIII. §. 1. n. 2.* (i) *MELCH. ADAMI Vit. Germ. Theol. p. 144. 145.* (l) *Teste ANDREA RIVETO T. III. Opp. in Jes. V. p. 494.*

ageret? exploraturum, redditus fuit certior. (m) Celebra-
 tissimum JO. HUSSI de *olore* varicinium a GRAMMONDO
 fuit eo abreptum, (n) ut grandem *hypocriseos* dicam impin-
 geret Luthero, ac li niveo vultu atram tegeret bilem.
 Ab HELFRICO ULRICO HUNNIO, degenerate magni
 Ægid. Hunnii filio, (o) a STAPHYLO, FROMMIO, aliis
 itidem apostatis, tanta est contumeliarum mole oneratus,
 ut eas numerando percensere fugiat animus. Palmam
 Pontificii Arianis non modo dubiam facturi, sed præ re-
 pturi penitus videntur, plura in Lutherum vere immor-
 talem, quam hi in Athanasium, mendaciorum, scom-
 matum, criminationumque plaustra exonerantes. Omit-
 to cetera, inprimis fabulam de infami ejus *αυτοχρησία*. (p)
 Quæ nascendi habuerit initia, adeo subdole & falso com-
 memorant, ut fidei omnis faciant jacturam. Per SER-
 RARIUM, non ignobilem sedis Pontificiæ satellitem,
 (q) necnon per PETRUM ROESTIUM, (r) antiquus ille
 mendaciorum pater suis persuadere parasitis satagit, Lu-
 therum ideo ne sacro quidem fonte ablutum fuisse, quod
 a patre incubo generatus, & de foemina dæmoniaca, quam
 nominare non sustinent, fuerit susceptus. Puduit com-
 menti adeo absurdi atque palpabilis non paucos,
 ex quorum numero SPONDANUM nominasse suf-
 fecerit. (s) Nec defuere, qui merita Lutheri dotesque
 divinas veris ornarunt laudibus. Tertio a cepta Refor-
 matione anno NICOLAUS ULNERUS, Vicarius Co-
 loniensis, annos natus octoginta, brevi at illustri enco-

A 3 mio,

(m) LUTH. T. II. Epp. p. 180. sq. adde *nanias pueriles NATA-
 LIS ALEXANDRI de Luth. salacitate T. VIII. Hist. Eccles. p. 109. (n)
 Lib. II. Hist. Gall. p. 178. (o) In XII. indissolub. argumentis, quibus constructus
 Sectam reliquit Lutheranam. (p) Vid. CORNEL. a LAPIDE in II. Pet. II, 12.
 p. 378. b. (q) In Tob. VI. p. 67. (r) Pseudo-Jubilæi p. 145. (s) Tom.
 II. Contin. Annal. Baron. ad A. MD XVII. §. 13. adde MAIMBURG,
 de Lutheran. Lib. I. Sect. VIII.*

mio, cui primæ cognominis literæ anſam præbuerunt: *Lux Vera Totius Eccleſiæ Romane*, Virum, de quo commen- tor, celebravit. (r) JO. FISCHERUM, Roffenſem Episcopum, lectio eorum, quæ typis exſcribenda Luthe- rus curaverat, eo adegit, ut, literis ad Erasinum Rote- rodamum datis, ipſum *Scripturarum ad miraculum usque peritum* profiteretur. (u) ERASMO ROTERODAMO, quamvis ab Henrico VIII. Angliæ Rege, & Thoma Vol- ſio, Cardinale Eboracenſi, in eam tandem induceretur ſententiam, calamum adverſus Lutherum ut ſtringeret, non fuit integrum diffiteri, *tantum eſſe Lutherum, ut in uno folio commentariorum ejus plus ſolida eruditionis, quam in mul- tis prolixis Scholaſticorum, & aliorum ſimilium, ſcriptis contineat- ur.* (x) Quotquot Compendium Theologiæ Erasmicæ, (y) qua par eſt attentione, perlegunt, monitore non in- digent, ſed ſua ſponte advertunt, eam a Lutheri Theolo- gia toto diſtare cœlo, ſtatutum enim erat Erasmo, a Rom. Eccleſia ne morte quidem divelli, niſi illa palam a Chriſto divideretur. (L. XVI. Epp. p. 504.) Nihilo tamen fecius hunc Lutherus & adverſarium habuit & non eru- ditionis tantum ſed vitæ quoque culpa vacantis teſtem. (z) Ab ipſo Imperatore Romano, CAROLO V. tantam iniit gratiam, ut hoc eum afficeret elogio: Wenn die Pfaf- ſen fromm wären / ſo dürfften ſie keines Luthers. (aa) Diſtichon, quo WOLFFGANGUS SEVERUS, ille Ferdinandi Auftriaci, poſtea Imperatoris, quondam Præ- ceptor, honores tanti Eccleſiæ Chriſtianæ ornamenti A.

A 3

MDXXXII.

(t) Conf. SELNECCER. de Vita Luth. p. 42. (u) Vid. Magn. D. JO. FRIED. MATERI Luth. Apocal. p. m. 78. (x) MELCH. ADAM. l. c. p. 115. & 160. adde HULSEM. Orat. Eccleſ. p. 426. (y) Prodat Roterod. 1667. 12. (z) ERASM. Lib. II. fp. I. (aa) LUTH. Warnung an ſeine Deuſſchen A. 1531. T. V. Jen. Germ. 281. a.

M D XX XII. profecutus est, JO. WOLFFIUS (*Lect. Memor. T. II. Centenar. XVI. p. 395.*) memoriae prodidit:

Sapere de gente prior, majorque Luthero

Nemo fuit, sed nec, credo, futurus erit.

RICHARDUS SIMONIUS, vir egregius, si, iudice Isaaco Vossio, (bb) ab iis abstinuisset, quae habet de incertitudine scriptorum V. T., neque paria cum Spinosa fecisset, faretur, Lutherum in Hebraea lingua multo doctiorem Calvino extitisse. (cc) Ne JOH. COCHLÆUS quidem hoc Lutheri honoribus detrahendum ratus est, quod *Laicos Clericis Paris in Bibliis versatiores reddiderit.* (dd) Silentio praetereo, ac lubens, Pontificiorum de orthodoxia & vita Lutheri testimonia, quae CALOVIUS (ee) atque GERHARDUS congesserunt, (ff) inter quae illud MATTH. SCHIRNERI, Episc. & Cardinal. Sedunensis, ut luna inter stellas minores, emicat: *O Luthere! Luthere! tu scire secundum nomen tuum Lutherus es & limpidus.* Neque juvat nunc quidem commemorare, quantum emolumentum ex Lutheri hymnis &c. ad Pontificios, ipsis haud inficiantibus, redundarit, postquam otia nobis fecit indefessa Magn. D. MAYERI sedulitas, atque iudicium longo rerum usu subactissimum. (gg) Pedem ad REFORMATOS promoveo, duriora, quae vel TIGURINA A. M D XLV. in sua Apologia, si ABRAHAMO BZOVIO fides est habenda, (ii) vel alii (ll) adversus Reformatorem primum

lite-

(bb) *De Orac. Sibyll. p. 331.* (cc) *Hist. Crit. V. T. L. III. cap. XIV. p. 64.* (dd) *De Actis & scriptis Luth. A. C. M D XXII. p. 55.* (ee) *Bibl. Illustr. P. II. N. T. p. 1863.* (ff) *Conf. Cathol. L. I. P. I. cap. VI. de Reformat. organo p. 56. sqq.* (gg) *Dissert. quantum Reformatio Lutheri Pontificiis, ipsis non diffitentibus, profuerit?* (ii) *Annal. Contin. Tom. XX. ad A. C. M D XLVI. §. LXXVI. p. 152.* (ll) JO. JAC. GRYNÆUS *entheum religionis zelum & serium Papatus odium!*

literis mandarunt, sicco præteriturus pede, ne odiis premar
 intestinis, neque inimicitias contraham parum profutu-
 ras. Stat sententia, hujusmodi tantum ex Reformato-
 rum monumentis proferre in medium, quæ laudis, Lu-
 theri meritis quæsitæ, præbeant argumentum. Hæreo
 autem dubius, utrumne DAVIDIS PAREI modestia,
 hoc declarata testimonio: *Non sumo mihi iudicium de tanto*
Viro, & Dei adversus Papatum singulari organo, (mm) δάριος
ἀδάριος ideo sit accentenda? quod non multo post & incon-
 stantiæ ipsum insimulat, & animum objicit in contentio-
 ne ferventiorum, quam veri rectique, liceat ipsius uti
 verbis, fervantiorum. JO. CHRISTOPH. BECKMANN
 non paucis quidem aculeis vice plus simplici Lutherum
 pungit, at gratus agnoscit tamen, ipsum *ornatum a Deo*
fuisse multis excellentibus donis & virtutibus, ingenio, luce do-
ctrinae cælestis, eruditione, eloquentia, prudentia & sapientia,
zelo gloria, divinitusque formatum & excitatum ad ecclesiam
Christi, his postremis temporibus tyrannide ac tenebris Antichristi
horribiliter oppressam, in libertatem & lucem Evangelii vindi-
candam. (nn) Digna est JO. STURMII, quæ hic legatur,
 versionis pariter Bibliorum a Luthero adornatæ ac ele-
 gantiæ stili commendatio: *Lutherus quasi magister extitit*
nostri sermonis, sive puritatem consideres, sive copiam. —. —.
Causam certe ipse defendit & justam & necessariam, qua per se
meretur victoriam, sed certe oratoris lacertis sua misit tela ar-
 gumen-

odium stomachationis titulo traduxit: Pontifici Romano Eras-
mus plus nocuit jocando, quam Lutherus stomachando. Melch.
Adami Vit. Germ. Theol. p. 878. JO. HOORNBECK: Arrogan-
tior Lutherus merito in eo visus, quod adeo intemperanter tulit
alios præter se Reformationis ἐργασίαν. Summ. Controv. p. 615.
(mm) Lib. IV. de Cæna Domini cap. XIII. (m) Massonii Anatom.
Univ. P. II. cap. VI. p. 80.

gumentorum. Si hac religionis restitutio non esset, si nulle con-
 ciones ejus extitissent, si nihil scripsisset aliud, quam ea, quæ in
 V. & N. T. translata divulgavit, tamen summa ejus & perpe-
 tua in hoc labore deberet extare gloria. Si enim huic Germanicæ
 translationi ceteræ Græcorum, Latinorum, aliorumque comparen-
 tur, cedere cogentur perspicuitate, puritate, proprietate, simi-
 litudine Hebraicæ originis. Credo, ut Apellem nemo legitur pi-
 etorum superasse, ita ne scriptorum quidem quisquam Lutheri
 conversionem poterit vincere. (oo) Ecquis Lutherani nomi-
 ne insignitus poterit veritati testimonium dare liculen-
 tius? A Sturmio non dissentit SIXTINUS AMAMA,
 inter præclara Dei organa, quæ scripturam solide sunt inter-
 pretata, locum Luthero primum tribuens, atque Biblicæ
 translationis, in qua ab A. C. M D XVII. usque ad
 A. M D XLI. defudavit, causam his verbis perorans:
Versionem B. Lutheri qui non magni aestimet, ne is indignissimus
est, qui in ullo aestimio sit. (pp.) Labem hæreseos, ob reje-
 ctam Jacobi Epistolam, a nonnullis Luthero aspersam eluit
 JO. RAINOLDUS, in eo quoque haud iniquum eidem
 se præbens, quod præproperum animi æstum sæpius ab
 ipso agnitum prædicat. (qq) Reformatorum per Germani-
 am primi titulum Luthero minime invidet JAC. ALTING.
 (rr) A PETRO MARTYRE nunc heros appellatur a Deo
 excitatus, qui ecclesias innumeras plantaret, nunc Pela-
 gianismi atque Papatus fulmen terrificum & invictus malleus. (ss)
 ZWINGLI, CALVINI, BEZÆ, quos Triumviros
 Reformatorum ecclesia facit maximi, judicia de Luthero

B

exqui-

(oo) MELCH. ADAM. Vit. Germ. Theol. p. 160. (pp) Anti-
 barb. Bibl. Præf. ad Lect. p. 10. & Orat. de Barbar. p. 28. (qq) Cens.
 Libb. Apocr. P. I. Præf. IV. p. 50. 52. (rr) Hept. Dissert. Acad. Præf.
 p. 1. add. FRANC. BURMANNI Syn. Theol. T. II. p. 596. (ss) Loc.
 Commun. T. I. p. 1494. T. II. p. 1415.

exquisitissima GEORG. DEDEKENNUS, uno quasi fasce compræhensa, exhibet. (tt) Nequeo autem mihi temperare, quominus carmen, triumphis Lutheri a Beza dicatum, repetam:

*Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis; Fraudibus iste suis.*

*Quantum isto major Lutherus, major & illa?
Istum illamque uno qui domuit calamo.*

*I nunc, Alciden memorato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil. (uu)*

Neque contemnendam Lutheri, a variis Monachorum calumniis vindicando, navavit operam ANTONIUS SADEEL. (xx) Dolet non minus JOANNI PRIDEAUX, Lutherum, quem *heroicum Christi athletam* nominat, mendacii adversariorum tantum non obrutum esse. (yy) *Predicitia* Lutheri ab injuria turpium libidinum liberrimæ, quam Becanus in dubium vocarat, JOH. CROCIUS est patrocinator. (zz) Nunquam eum intendisse, ut S. Triados invocatio e litania expungeretur, adversus Serrarium tribus probavit argumentis GISB. VOETIUS. (aaa) Stili acrimoniam, quam Jac. Benignus Bossuetus magna orationis libertate perstrinxerat, J. BASNAGIUS excusandam sibi sumpsit, Lutherum iniquissime traduci judicans, si, tot injuriis acerbatus, durius aliquid dixerit, aut scripserit. (bbb) Quantopere in sinu gaudeant Refor-

(tt) *Thes. Consil. Vol. I. Tit. I. Sect. IV. p. 73.* (uu) *Vid. BEZÆ Icones ed. Genev. 1580. C. III.* (xx) *Opp. Theol. Ref. Assert. Posnan. p. 859.* (yy) *Opp. Theol. Lat. Orat. XI. de Impostor. Mendac. p. 417.* (zz) *Anti-Becan. T. I. p. 633.* (aaa) *Sel. Dispp. Theol. P. III. p. 1054.* (bbb) *Act. Erud. Lips. A. MDCXC. p. 474.*

Reformati de Lutheri libro servum arbitrium exponente, vel ex solo BECKMANNO intelligas licet; (ccc) Sed vereor, ne SEB. SCHMIDII notæ mentem Lutheri illustraturæ, & quæ WITTEBERGENSES jam tum ante monuerant, (ddd) hoc gaudium oppido minuant. Nobis vero, sententias Lutheri omnes verbo Dei munitas tumentibus, lætitiâ prorsus egregiam ante hos sex annos peperit ingenua D. HIERONYMI GUIL. SNABELII, quem, eruditorum suorum extra controversiam decus, Brema nondum etiam lugere desuit, *confessio de salute Lutheri*, nunc in æternis Dei laudibus occupati. (eee) Quæ meditati, nobis non vertent vitio, quod tanti memoriam Viri quotannis, etiamsi nullum nos obstringat edictum Saxonicum, (fff) recolamus. Reformationis dies, qui in XXXI. Octobr. incidit, natalis item, quem Aug. Confessio Luthero obstetricante d. XXV. Jun. habuit, ultima denique fata, quæ Thaumasiander ad d. XVIII. Febr. expertus est, subinde merita ac desiderium ejus refricant, quem neutiquam instar Dei colimus, quæ Cardinalis HOSII maledicentia est, (ggg) sed Germanicorum Patrum A & Ω, CALOVIO duce, (iii) nuncupamus. Tertius abhinc dies, si a repurgato ab eas calendario, sextus atque vigesimus est supra ducentimum Lutheri natalis, basis lætitiæ omnis, quam γυναικίως Lutheranis Deus per liberaliter est impertitus. Reddent eundem, hoc quidem anno, nobis amœniorem binæ orationes, quas, pro fortunato mune-

B 2 rum

(ccc) *Anatom. Univ. Triumph. P. I. c. XVII. p. 284. seq.* (ddd) *Antapolog. contra Rintel. c. VI. p. 121. c. VII. p. 198.* (eee) *Orat. de Gloria novi sæc. p. 19.* (fff) *CHRISTIAN JUNCKERS güldenes und silbernes Ehren-Gedächtniß Lutheri p. 376. sq.* (ggg) *In Confut. Proleg. Brentii, T. I. Opp. Lib. I. de legit. Jud. Rer. Eccl. p. 493.* (iii) *Bibl. Illustr. V, T. T. II. p. 8.*

rum sibi demandatorum auspicio, ambo, quos supra laudabam, Oratores nostri, quorum vitam atque functiones Brema literata exhibebit, sunt habituri. Mearum erit partium, quamprimū concentus musicus conticuerit, DE LUTHERI DIVINIS IN SCHOLAS MERITIS multa paucis præfari. Frequentes *ab hora IX. diei XX. Nov.* dicturis Auditores adfuturos, vix haberem certum, nisi merita Lutheri, adeo a Reformatis quoque decantata, pro nobis intercederent. Quibus quantum singuli literarum literatorumque Patroni & æstimatores, florentissima itidem studiosæ juventutis concio, pretium statuunt, honorifica sua ut comprobent præsentia, perofficiose atque ita, ut
 majore studio non possim, rogo
 atque contendo.

P. P. Dom. XXIV. post Trin.
 d. XVIII. Nov. anni MDCCVIII.

